## 2. *Ars amatoria*: Literarische Einordnung, Datierung, Aussagen Ovids

### 2.1 Aussagen Ovids über die *Ars amatoria* in seiner Exildichtung

#### 2.1.1. Die *Ars amatoria* als Verbannungsgrund

(a) trist. 1,1,111-116:

Tres procul obscura latitantes parte videbis,
hi quia, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Oedipodas facito Telegonosque voces.
Deque tribus, moneo, si qua est tibi cura parentis,
ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.

(b) trist. 2,7f.:

Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
iam demi iussa Caesar ab *Arte* meos.

#### 2.1.2. Der Vorwurf: Ovid als *doctor adulterii*

(a) trist. 2,211-304:

Altera pars superest, qua turpi carmine factus
arguor obsceni doctor adulterii.
[…]
Scilicet imperii princeps statione relicta
imparibus legeres carmina facta modis?
Non ea te moles Romani nominis urget,
inque tuis umeris tam leve fertur onus,
lusibus ut possis advertere numen ineptis

excutiasque oculis otia nostra tuis.
[…]
Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
te numquam nostros evoluisse iocos?
At si, quod mallem, vacuum tibi forte fuisset,
nullum legisses crimen in *Arte* mea.
Illa quidem fateor frontis non esse severae
scripta, nec a tanto principe digna legi:
non tamen idcirco legum contraria iussis
sunt ea Romanas erudiuntque nurus.
Neue, quibus scribam, possis dubitare, libellos,
quattuor hos versus e tribus unus habet:
„Este procul, vittae tenues, insigne pudoris,
quaeque tegis medios instita longa pedes!
Nil nisi legitimum concessaque furta canemus,
inque meo nullum carmine crimen erit.“ [ars 1,31-34]
Ecquid ab hac omnes rigide summovimus *Arte,*
quas stola contingi vittaque sumpta vetat?
„At matrona potest alienis artibus uti,
quoque trahat, quamvis non doceatur, habet.“
Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni
ad delinquendum doctior esse potest.
[…]
303f.:
Et procul a scripta solis meretricibus *Arte*
summovet ingenuas pagina prima manus.

(b) Pont. 3,3,47-58 (angesprochen ist Amor):

„Dum damus arma tibi, dum te, lascive, docemus,
haec te discipulo dona magister habet.
Scis tamen et liquido iuratus dicere possis
non me legitimos sollicitasse toros.
Scripsimus haec illis, quarum nec vitta pudicos
contingit crines nec stola longa pedes.
Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas
et facere incertum per mea iussa genus?
An sit ab his omnis rigide submota libellis
quam lex furtivos arcet habere viros?
Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege severa
credor adulterii composuisse notas?"

(c) Pont. 3,3,67-70 (Amors Antwort):

„Per mea tela, faces, et per mea tela, sagittas,
per matrem iuro Caesareumque caput,
nil nisi concessum nos te didicisse magistro
Artibus et nullum crimen inesse tuis."

### 2.1.3. Ovids Reue

(a) trist, 2,315-318:

Nil nisi peccatum manifestaque culpa fatenda est:
paenitet ingenii iudiciique mei.
Cur non Argolicis potius quae concidit armis,
vexata est iterum carmine Troia meo?

(b) trist. 3,1,1-8 (Ovids Buch spricht):

„Missus in hanc venio timide liber exulis urbem.
Da placidam fesso, lector amice, manum
neve reformida, ne sim tibi forte pudori:
nullus in hac charta versus amare docet.
Haec domini fortuna mei est, ut debeat illam
infelix nullis dissimulare iocis.
Id quoque, quod viridi quondam male lusit in aevo,
heu nimium sero damnat et odit opus."

(c) trist. 5,12,67f.:

Sic utinam, quae nil metuentem tale magistrum
perdidit, in cineres *Ars* mea versa foret!

(d) Pont. 1,4,41f.:

Illum [scil. Iasona] furtivae iuvere Cupidinis artes
quas a me vellem non didicisset amor.

(e) Pont. 2,10,15f.:

Naso parum prudens artem dum tradit amandi,
doctrinae pretium triste magister habet.

(f) Pont. 2,2,103f. (an Messalinus):

Ingenii certe, quo nos male sensimus usos,
*Artibus* exceptis saepe probator eras.

### 2.1.4. Unterschied zwischen Leben und Werk

(a) trist. 1,9,57-62:

Utque tibi prosunt artes, facunde, severae,
dissimiles illis sic nocuere mihi.
Vita tamen tibi nota mea est; scis artibus illis
auctoris mores abstinuisse sui;
scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen et istos,
ut non laudandos, sic tamen esse iocos.

(b) trist. 2,347-356:

Sed neque me nuptae didicerunt furta magistro,
quodque parum novit, nemo docere potest.
Sic ego delicias et mollia carmina feci,
strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
ut dubius uitio sit pater ille meo.
Crede mihi, distant mores a carmine nostro
(vita verecunda est, Musa iocosa mea)
magnaque pars mendax operum est et ficta meorum:
plus sibi permisit compositore suo.

### 2.1.5. Ovids Stolz auf sein Werk (trist. 3,3,73-80)

„Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum
ingenio perii Naso poeta meo.
At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
dicere ‘Nasonis molliter ossa cubent’!“.
Hoc satis in titulo est. Etenim maiora libelli

et diuturna magis sunt monimenta mihi,
quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
nomen et auctori tempora longa suo.

### 3. Das Proömium zum ersten Buch

Siquis in hoc artem populo non novit amandi,
Hoc legat et lecto carmine doctus amet.
Arte citae veloque rates remoque moventur,
Arte leves currus: arte regendus amor.
Curribus Automedon lentisque erat aptus habenis,
Tiphys in Haemonia puppe magister erat:
Me Venus artificem tenero praefecit Amori;
Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est et qui mihi saepe repugnet:
Sed puer est, aetas mollis et apta regi.
Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem,
Atque animos placida contudit arte feros.
Qui totiens socios, totiens exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
Verberibus iussas praebuit ille manus.
Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor Amoris:
Saevus uterque puer, natus uterque dea.
Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,
Frenaque magnanimi dente teruntur equi;
Et mihi cedet Amor, quamvis mea vulneret arcu
Pectora, iactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
Hoc melior facti vulneris ultor ero:
Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes,
Nec nos aeriae voce monemur avis,
Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores
Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis:
Usus opus movet hoc: vati parete perito;
Vera canam: coeptis, mater Amoris, ades!
Este procul, vittae tenues, insigne pudoris,
Quaeque tegis medios, instita longa, pedes.
Nos venerem tutam concessaque furta canemus,
Inque meo nullum carmine crimen erit.